



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

Dispvatio Prima. De matris Dei dignitate in communi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)



I

CÔMMENTARII, ET DISPUTATIONES P. FRAN- CISCI SVAREZ E SOCIETATE IESV IN TERTIAM PARTEM D. THOMÆ.

A QVÆSTIONE VIGESIMASEPTIMA ad quinquagesimam nonam.

PRÆFATIO.



OSTQVAM D. Thom. A secundo eius aduentu, secundoque in cœlum redi-
tu differendum erit.

Scientia de
Christo cum
Deiparæ co-
gnitione con-
iungitur.

PRIORUM huius doctrinæ partem absoluit, in qua diuinum Incarnationis mysterium diligenter, & accuratè perferutatus est, posteriorem aggreditur, in qua de Christi Domini Vita, Morte, Resurrectione, atque æterna felicitate non minus copiosè, & eruditè disputat. Cuius disputationis inipsum à Deiparæ cognitione non immeritò auspicatur. Erat enim hæc tractatio ad huius materiæ complementum maxime necessaria. Nam sicut æterna Christi processio absq; æterni Patris fide credi non potest, ita temporalis eius generatio, quæ ex matre sine patre initium habuit, sine præuia eiusdem Deiparæ cognitione comparari non poterat. Cognitio enim effectus, cognitionem causæ supponit: cum autem B. Virgo Christum vt hominem genuerit, sub hac ratione causam illius esse necesse est. Recte igitur ad scientiam de filio consequendam, per matris cognitionem paratur via: neque enim poterant, qui & sanguine, & dilectione ad eò coniuncti sunt, disputatione seiungi, nec par erat in tam longo de Christo sermone, de Virgine tacere. Quamquam verò in hoc, sicut in præcedenti tomo omnes D. Thom. quæstiones suo sint ordine à nobis elucidandæ, quia tamen in animo est integram, ac copiosam de Beata Virgine tractationem instituere, ab eius dignitate, & prædestinatione vsque ad vltimam exaltationem rem totam arcescendo, & omnia mysteria, quæ in illa Deus operatus est, & omnes gratias, merita, scientiam, omnemque illius perfectionem diligenter perferutando; id eò posteriorem hanc de Christo tractationem in duas præcipuas partes distribuam, in quarum priori de Beata Virgine, & vita Saluatoris vsque ad trigessimum ætatis annum (quoniam hæc duo inter se connexa sunt,) simul disputabo, & quæstiones Diui Thomæ à 27. vsque ad 37. exponam, in alia verò parte de reliquo tempore vitæ Christi, ac de illius prædicatione, morte, Resurrectione, Ascensione, & Fr. Suarez. Tom. 2.

tu differendum erit.

Neque existimandum est, præsentis disputationis materiam, ex ea præsertim parte, quæ ad Beatam Virginem spectat, esse ab institutò scholastico alienam, vel quia Doctores scholastici breuissimè illam attingunt, vel quia certis Theologiæ principiis fundari non potest, sed solum probabilibus rationibus aut piis coniecturis. Ego enim post ipsius Dei, ac Christi cognitionem, nullam, aut vtiliorem, aut viro Theologo digniorem esse existimo. Neque intelligi cur de gratia angelorum, deque illorum meritis, ac statu vitæ, ac denique de eorum gloria, ceterisque scientiæ, & gratiæ donis, & ministeriis, seu officiis tam accuratè Theologi disputent, de Angelorum verò regina, eiusq; dignitate, gratia, scientia, meritis, ac singulari felicitate longè maiori diligentia differendum non sit. Cum hæc doctrina & per se dignior, ac iucundior, & ad pietatem magis sit accommodata, & (vt Aristot. dixit) melius sit, de rebus altioribus, vel pauca coniectare, quam inferiores certitudine etiam mathematica cognoscere, eò vel maxime, quòd maior, ac certior cognitio potest de gratia, & gloria B. Virginis, quam Angelorum, ex principiis fidei ratiocinando, colligi. Quocirca ne quis existimet doctrinam hanc non habere firmum in Theologia fundamentum, quoniam de illa in diuinis literis pauca videntur scripta, breuiter designabo loca, ex quibus argumenta petenda, & controuersiæ omnes sunt definiendæ.

C Principiò ergo in testamento veteri frequens est Beatæ Virginis mentio prophetica, vel aperta, vel figurata, nam vt Bernardus ait in sermone, Signum magnum. Longè ante patribus est cœlitus repromissa, mysticè præfigurata miraculis, oraculis annunciata prophetis, & Epistol. 174. dicit, Patriarchis, & Prophetis fuisse præcognitam, & Homil. 2. in Missus est, dicit, à patribus esse præfiguratam, & à Prophetis promissam, Et Ildefonsus serm. 2. de assumptione, dicit à Ildefonso, Prophetis esse prædictam, & Philosophis sanctis præfatam, & Augustinus lib. de assumptione, in initio, Sola, inquit, meruit Deum, & hominem paritura suscipere, facta thronus Dei, & aula Regis æterni, secundum quod nos docuisti per sanctos tuos Patriarchas, Prophetas, & Aposto-

postolos, figuris, & sermonibus, quibus credimus, & certi sumus quia nunquam fefellit. Propter quod Hieron. Andr. Cret. Mich. 6. illam vocat Vaticinium Prophetarum. Andreas verò Cretens. ferm. de assumptione, Summam divinatorum o'culorum, appellat. Quinimo addere possumus, sicut Paulus de Christo dicit, in capite libri de illo esse scriptum: ita de Beata virgine in sacra scriptura initio scriptum esse, inimicitias ponam inter te, & mulierem, ipsa conteret caput tuum. His enim verbis Deum ipsum Mariam Virginem prædixisse, communis est antiquorum Patrum sententia, ut infra tractantes de sanctificatione Beata Virginis commodiori loco trademus. Totum præterea Canticorum librum, non solum per accommodationem, sed etiam in sensu aliquo ab Spiritu sancto intentio, Virginem præcinere, omnes fere patres, qui illum interpretantur, intelligunt. Præsertim Bernard. & Rupert. ibi, & libr. 7. de Processione Spiritus sancti, cap. 13. Vnde Apponius in fine Canticorum, infelicem esse dicit, qui hoc non credit. Sunt præterea in Scriptura veteri Virginis proprietates, & perfectiones, in variis personis, & rebus præfiguræ, quas hoc loco congerere non oportet, tum quia vulgares fere sunt, & in sanctis Patribus facile reperiuntur, tum etiam quia in singulis quæstionibus, ubi oportuerit, præcipuas earum commodius attingemus. Nónnulla etiam ex libris Psalmorum, & Sapientialibus Ecclesia ad Virginem accomodat, ex quibus interdum non leve argumentum sumi potest.

Secundò, in nouo testamento pauca quidem verba de virgine scripta sunt, quoniam tota Euangelistarum, & Apostolorum intentio ad Christum referebatur, quia illo cognito, eiusque fide satis fundata, non poterat matris eius excellentia, aut ignorari, aut occultari, in illis verò paucis verbis, eiusque grauius, quædam præcipua capita indicata sunt, quæ omnia, quæ de Virgine dici possunt, virtute continent. Quod in cæteris fere rebus, etiam in gestis à Christo, quæ ab Euangelistis narrantur, obseruare licet. Est enim totum Euangelium breue, ac concisum, Quoniam verbum abbreviatum fecit Dominus super terram, ad Rom. 9. ut notauit Euseb. lib. 2. de Demonstrat. c. 40. & Tert. lib. 4. contra Marcion ca. 16. cum enim non possent Euangelistæ singula perscrutari ea, quæ maximè necessaria erant, attigerunt, ut ex eis reliqua intelligeremus.

Percontabitur autem fortasse aliquis, cur Christus dominus qui fidem Centurionis, Magdalene charitatem, & Ioannis laudes interdum prædicauit, nunquam de matre sua quidpiam simile locutus sit. Respondetur primò ad temperantiam quandam, & modestiam id spectare potuisse: quidquid enim de Virgine diceret, ad seipsum referri & pertinere videretur. Deinde, tunc præcipuè studuit diuinam suam originem homines docere, qua cognita, facile erat excellentiam humanæ conceptionis, matrisque suæ dignitatem percipere. Denique ubi resipscæ, & opera, quibus Christus matrem honorauit, clamabant, verba non erant necessaria.

Tertiò, præter ea, quæ in scripturis canonicis continentur, sunt alia multa de Beata Virgine per traditionem, quæ ab ipsis Apostolis manauit, & per manus Patrum ad nos usque peruenit, communi sensu Ecclesiæ, & definitione recepta, ut constat ex Dionys. c. 3. de diuin. nominib. & epist. 4. ad Caium, Ignat. epist. 1. & 2. ad Ioan. ad Trallianos, & 8. ad Phyl. Iren. Epiph. Hieronym. Aug. & alij antiquissimis patribus, quorum testimonia in sequentibus indicabimus. Illud verò obseruatione dignum censeo, videlicet ex quatuor primis concilijs generalibus, quæ Gregorius ut quatuor Euangelia veneratur: primum Nicenum honorem Filij, & consequenter honorem etiam Patris contra Arium defendisse: secundum, scilicet Constantinopolitanum primum diuinitatem Spiritus Sancti statuisse contra Macedoniū:

A cõrtium verò, scilicet Ephesinum, ad tuendam maiestatis Dei dignitatem contra Nestorium, esse congregatum. In quo tam multa dicta sunt de laudib. Virginis, ut vix aliquid addi posse videatur, quæ postea in quarto Concilio Calcedonenfi, & in 5. & 6. Synod. & in cæteris, usque ad Trid. confirmata sunt, & amplius explicata.

Quartò tandem, non sine singulari Spiritus Sancti consilio factum est, ut nonnulla Virginis mysteria, & privilegia, nec scripta sint, nec certa traditione recepta, ut occasio daretur fidelibus, amplius meditando, & recogitando hæc mysteria, loquendique ac scribendi de Virgine, ex principijs traditis plurà ratiocinando, & colligendo. Quocirca rationibus, etiam in hac materia vtendum est, quæ vel in dictis principijs, vel in ipsa rerum natura, & decentia fundare, multum ponderis, & efficacitatis in Theologia habent, ut rectè Canus notauit, lib. 12. de locis ca. 14. & ex vsu sanctorum patrum satis constat, ut videre licet apud Aug. lib. 83. q. 49. & 50. & Cyril. lib. 5. Thef. c. 7. Ansel. lib. 2. cur Deus homo ca. 5. & in alijs, quos priori tomo disp. 1. & fere in discursu totius materiæ retuli, vbiunque enim de mysterijs, & perfectionibus Christi tractant, rationibus & coniecturis ex decentia rei sumptis vtuntur, reliquum est ut institutum nostrum aggrediamur. Prius verò quam D. Thom. quæstiones explicare incipiam, vnam vel alteram disputationem, quæ totius materiæ fundamenta contineat, præmittendam duxi.

DISPUTATIO I.

In tres sectiones distributa: de matris Dei dignitate in communi.

ICVT initio huius doctrinæ de Christo, & incarnatione primum statuiamus, ac demonstrauimus Christum esse Deum ac incarnationem esse factam, quoniam hoc erat fundamentum omnium, quæ de hoc mysterio dicenda erant, ita in his disputationibus de Beata Virgine, præmittere oportet illam esse matrem Dei, & explicare, qualis & quanta fuerit hæc dignitas, & quomodo ad illam fuerit Beata Virgo prædestinata: quoniam ex hoc fundamento ratio omnium, quæ de Virgine dicemus, sumenda est, Hæc igitur in præsentī disputatione trademus.

SECTIO I.

Vtrum Beata Virgo verè, ac propriè fuerit mater Dei & hominis.

Hæc quæstio potissimum versari cœpit in Ecclesia post annum quadringentesimum, tempore Concilij Ephesini, quia licet ante illa tempora, hæretici qui negarunt Christum esse verum Deum, aut verum hominem vera humana carne constantem, consequenter negarent Virginem fuisse veram matrem Dei, aut hominis, ex ijs tamen, qui Christi Deum, & hominem confelsi sunt, primus fuit Nestorius, qui negare ausus est, Mariam Virginem verè ac propriè fuisse matrem Dei ut constat ex historia Concilij Ephesini, & ex Vincentio Lyrensi, libro contra profanas vocum nouitates, & Casiano, libro. 1. & 2. de incarnatione, & Theophylact. Ioan. 9. in fine, in quo errore versari etiam hoc tempore nonnullos hæreticos refert Canis. li. 3. de B. Virgine c. 22. Fundamentum huius erroris fuit, vel quia vnionē veram humanæ naturæ cum verbo diuino negauit, & consequenter veram, ac propriā cõmunicationē idiomaticam, vel quia saltē negauit hæc vnionē factam esse in vtero Virginis. Hinc enim consequens esse videtur, licet B. Virgo fuerit mater Christi.

Bernard.
Rupert.
Apponius.
In veteri testamento v.
bimēto de
B. Virg.

Roman 9.
Euseb.
Tertull.

Dubium.

Respondeo.

Cur Christus in Euangelio nihil de sua matre prædicauit.

Dionys.
Ignat.
Iren.
Epiph.
Hieronym.
August.

Conc. Ephē.
sum ad
tuendam
Virginis di-
gnitatem
congrega-
tum.

Canus.
August.
Cyrillus.
Anselmus.

Virg.
con-
mat-
Joan.
Luc.
Matth.
1.
Luc.

ben.

Ijai.

Hier.
Leo.
Amb.

Tert.
Rupert.

Iuan.
August.
Chrys.
Cyril.

Cyprian.

Ambros.

Vincent.
Lyren.
Casian.
Theophyl.

Greg.

Obiect.
Ioan. 2.
Matth.

Christi, non tamen Dei, quia nec concepit, nec peperit Deum.

Veritas tamen est, Beatam Virginem verè ac propriè fuisse matrem Dei, vt definitum est in Concilio Conc. Ephes. & Calcedon. & in 4. Synod. act. 4. & 11. & habetur etiam in 7. Synod. act. 4. & 7. in Concil. Lateran. sub Martino 1. can. 3. & in alijs frequenter. Vt autem veritatem hanc ex proprijs principijs probemus, oportet nonnulla supponere.

Primum est, Beatam Virginem propriè esse matrem huius hominis, scilicet Christi. Ita enim expresse dicitur Ioan. 2. & erat mater Iesu ibi, & Luc. 1. vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? & capite secundo, Simeon dixit ad Mariam matrem eius.

Matth. 1. & 2. accipe puerum, & matrem eius. Diversi Christi fides, similis testimonij probaretur Ioseph fuisse patrem Christi. Respondetur, hoc ipsum explicare veritatem: tum quia propter eam, Luc. 3. additum est, vt putabatur filius Ioseph, quod de Virgine nunquam est dictum: tum etiam, quia de Ioseph nunquam dicitur in Evangelio genuisse Christum: de Virgine autem dicitur concepisse, & peperisse filium. Hoc etiam confirmat illa frequens appellatio, qua Christus in Evangelio, filius hominis vocatur, vt notauit Iren. lib. 3. contra hæres. capite 32. & eandem efficaciam habet quod dicitur, filius David, vel Abraham, media enim generatione ex Virgine matre, ab illis descendit. Vnde Isai. 11. dicitur, Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Sicut ergo flos verè producit ex arbore: ita Christus ex Virgine, vt notauit Hieronym. ibi, & Leo Pap. sermon. 4. de nativitate. Ambros. lib. de benedictionib. Patriarchar. capite 4. & libro 2. de Spirit. Sanct. capite 5. & de institut. Virg. capite 9. August. sermon. 3. de temp. Chrysostom. in Psal. 21. Origen. homil. 12. in Leuitic. Tertul. lib. 5. contra Marcion. capite 8. & lib. contra Iudæos c. 9. Rupert. Abbas lib. 2. in Isai. cap. 6. & lib. 11. de victoria Verbi, capite 28. 52. Atque eandem vim habet hoc testimonium, etiam si per virgam Christum intelligamus, vt intellexit Clemens Alexand. lib. 1. Paedagogic. capite 9. & Chrysostom. homil. 30. in Matth. Origen. homil. 9. in Num. Hilar. Psal. 2. circa illa verba, Reges eos in virga ferrea. Ambros. sermon. 54. & Cyrill. in Isaiam: eandem (inquam) vim habet, quia Christus non fuit de radice Iesse, nisi mediante Virgine.

Secundò hoc confirmatur. Nam Christus in Cruce moriens, se esse filium Virginis professus est, cum dixit Virgini, Ecce filius tuus. Ioann. 19. illo enim exemplo, vt August. tract. 19. Chrysost. homil. 84. & Cyril. lib. 12. cap. 34. notarunt, parentes honorandos, & illorum curam à nobis gerendam esse docuit. Recognovit igitur, & honoravit Virginem vt matrem, & ideo in extrema angustia positus tantam illius curam habuit, vt notarunt etiam Cyprianus libro de cardinalibus Christi operib. capite, seu concione, de resurrect. Christi, dicens, Nunc matrem moueri affectu, & thalamum humanitatis tue, cubiculario dilecto commendas, & provides sedulo benedicta inter mulieres, Apostolicam clientelam, & obsequium Virginis discipulo tradis & Ambros. libro 10. Epistol. 82. in fine, restabatur, inquit, de Cruce Christus & inter matrem, atque discipulum diuidebat pietatis officia. Denique Hieronymus tom. 1. Epistol. 47. de vitando suspecto contubernio, agens de subiectione Christi ad Virginem, venerabatur, inquit, matrem cuius ipse erat pater: colebat nutritum, quem nutruerat, gestatumque se meminerat alterius vtero, alterius brachis: vnde & in Cruce pendens commendat parentem discipulo, quam nunquam ante Crucem dimiserat, eandem veritatem eleganter docuit Nazianz. orat. 51. seu Epistol. 3. ad Cleod. prope initium.

Dices. Quid igitur tam illo loco, quam Ioan. 2. & alijs locis, Virginem mulierem vocat, nunquam verò matrem? & quod difficilius est, cur Matth. 12. matrem negare vilis est, dicens, quæ est mater mea? Ad priorem partem respondetur, Christum illo modo fuisse locutum, quia ita decebat: tum propter Christi modestiam, & grauitatem: tum etiam (ait Augustinus) propter exemplum nostrum, dixerat enim ipse Matth. 23. nolite vocare vobis patrem super terram. Fortasse etiam in illo loco Ioann. 19. matris appellationem vitauit, ne Virginem amplius commoueret, cur mulierem ibi notauit Lyran. In alio verò loco Ioann. 2. id rem non matrem Christum appellat. August. de symbolo, capit. 4. vel certe, sicut se vocabat filium hominis ita virginem per antonomasiam, mulierem appellabat, vt eam esse indicaret mulierem illam, per quam damna primæ mulieris instauranda forent.

Ad aliam verò partem respondetur non negasse Christum matrem suam, sed illis verbis reprehendisse eos, qui se concionantem importune interpellabant: secundo, docuisse, propter consanguineos non esse opus Dei omittendum: tertio quorundam iactantiam frænare voluisse, qui de Christi consanguinitate gloriabantur, significando eam sine spiritali coniunctione nihil prodesse: hanc verò per se multum valere. Ita ferè Chrysostom. homil. 45. in Matth. & August. lib. de sancta virginit. cap. 3. & lib. de fide contra Manichæos, & Tertull. libro de carne Christi, cap. 7. vbi optime locum hunc contra hæreticos ad fidei veritatem confirmandam retorquet.

Quartò addunt Hilar. can. 12. in Matth. & Gregor. homil. 3. in Euangelia, & Ambros. lib. 6. in Lucam, hoc factò significasse Christum, Ecclesiam quæ credidit, synagogæ fore præferendam, ex qua ipse erat secundum carnem.

Secundò supponendum est humanitatem Christi eodem temporis momento, quo perfecte formata fuit in vtero Virginis, & existere incepit in rerum natura, fuisse assumptam, & vnitam Deo hypostatice. Hoc clare demonstratum est superiori tomo, disput. 16. sect. 1. vnde concludimus, hunc hominem Christum semper à primo instanti conceptionis suæ fuisse Deum hominem, nunquamque purum hominem extitisse. Quæ quoniam eo loco satis confirmata sunt, plura hic addere non oportebit.

Tertio hinc facile concluditur intentata veritas, Beatam scilicet Virginem vere ac propriè esse matrem Dei. Probatur ex dictis, quia Virgo concepit, & peperit Deum, ergo est mater eius. Antecedens constat ex dictis. Quia concepit hunc hominem, & prius mater hic homo in ipsa conceptione fuit Deus, concepit Dei, ergo Deum. Vnde, & Scriptura sacra sic aperte loquitur, nam ad Galat. 4. filius Dei, hoc sensu dicitur, factus ex muliere, & ad Rom. 1. dicitur, factus ex semine David secundum carnem, & Luc. 1. quod ex te nascitur sanctum, vocabitur filius Dei. Vocabitur, inquit, non falsa appellatione, sed vera, & non solum post natiuitatem ex vtero: sed in ipsamet conceptione in vtero, de qua Angelus loquebatur rationem reddens, quare Spiritus Sancti virtute esset efficienda, quia nimirum ipse Deus concipiendus erat, vt notauit Cyrill. Alexandr. lib. de fide ad Reginas, citans Cyrillum. Athan. li. de Incarn. Christi. Et hoc etiam confirmat locus Isai. c. 7. Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum Isai. 7. nobiscum Deus, vt dicitur Matth. 1. Hanc denique & veritatem confitetur Elisabeth Luc. 1. dicens, vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me illa enim vox, Domini, diuinam indicat personam, vt Damasc. inquit, li. 3. de fide, c. 12. & Greg. lib. 9. registri, Epist. 61. eadem, Greg. Papa. inquit, Virgo & ancilla Domini dicitur, & mater: ancilla enim Domini, quia Verbum ante secula virginis æqualis est Patri, mater verò, quia in eius visceribus & sancto spiritu.

Fr. Suarez. Tom. 2.

ritu, eiusque carne factus est homo, & infra subdit rationem tactam, quia non prius in vtero Virginis caro concepta est, & postmodum diuinitas venit in carnem, sed statim Verbum factum est caro. similia docet lib. 18. moralium capit. 27. post med. aliis, capit. 35. & eodem modo loquuntur omnes alij antiqui Patres. In Liturgiis Iacobi, Basilij, & Chrysost. saepe vocatur *incontaminata mater Deiprostri*. Gregor. Nazianz. orat. 51. quae est Epistola prima ad Cleodonium, si quis, inquit, sanctam Mariam Deiparam non credit, extra diuinitatem est. Athanas. scripsit librum seu concionem de sanctissima Deipara. Iren. lib. 3. cap. 27. & 32. Epiphani. lib. 3. haer. 78. Cyril. homil. 6. contra Nestor. August. sermon. 2. de Annunciatione, & saepe aliis. Leo Pap. Epist. 83. & 97. & hac ratione vocant etiam Virginem *thronum, thalamum, tabernaculum, & templum Dei*, & similibus titulis, qui passim in sanctis Patribus reperiuntur. Confirmatur tandem ex dictis supra de communicatione idiomatum. Nam Deus est mortuus, quia hic homo est mortuus, ergo Deus est conceptus, & natus, atque adeo filius Virginis: quia hic homo est filius eius: ergo & e contrario virgo, sicut est mater huius hominis, ita Dei. Ultimo addi potest coniectura, seu congruentia. Quia nimirum voluit Deus, sese omnibus modis hominibus communicare, & (vt ita dicam) omnes cognitionis, & affinitatis modos perfectionem importantes cum illis contrahere: vnus autem, & valde perfectus est, vt Deus non tantum sit homo, sed etiam filius hominis, & vt quaedam humana persona creata sit coniuncta Deo, quantum esse potest in ratione personae. Vnde etiam factum est, vt non solum humana in Christo natura, sed etiam persona creata in virgine super omnes Angelorum choros fuerit exaltata.

Circa veritatem autem hanc multae occurrebant difficultates, quarum intelligentia pendet ex modo, quo Beata Virgo Christum Dominum concepit, quod in quaestionibus sequentibus D. Thomas copiosissime disserit, & ideo in eum locum eas remittimus. Ad fundamentum verò contrarij erroris ex dictis patet responsio. Supponit enim falsum fundamentum, scilicet Christum prius conceptum fuisse purum hominem, quam eius humanitas fuerit à Verbo assumpta.

Respondet.
ad argumen-
ta opposita.

Dubium.

Non verò defunt, qui respondeant hos Haereticos etiam in illatione errare, quia etiam si illud ita fuisset, existimant Verbum & Deum verè dici posse filium Mariae, quia assumere naturam ab alio genitam, sufficit, vt aliquis dicatur filius eius, à quo fuit talis natura. Probatur, tum quia formalis terminus generationis est ipsa natura: tum etiam quia ille homo semper est idem manente eadem natura, etiam si substantiam mutet: tum denique, quia semper retineret eandem relationem filiationis, quae per humanitatem inest supposito.

Respondet.
Verbum non
posset dici
proprie filium
Virginis nisi
in instanti
conceptio vis
humanita-
tem termi-
nasset in v-
tero Virginis.

Nihilominus hac sententia mihi non probatur. Censeo enim non potuisse proprie Verbum, aut Deum dici filium Virginis, si in ipso instanti conceptionis non terminasset humanitatem in vtero Virginis. Quod bene docuit D. Thom. infra q. 35. a. 4. & aperte colligitur ex omnibus Patribus supra citatis, omnes enim ad conuincendum Nestorium, supponunt tanquam principium necessarium vnionem factam esse in eodem humanae conceptionis momento & disertis verbis Nazianz. orat. 51. Si quis formatum hominem fuisse, Deumque postea subiisse dicat, damnationi obnoxius est, hoc enim non Dei generatio fuerit, sed generationis fuga, & exemplis declaratur, quia si humanitas Christi non esset tempore mortis vnita Verbo, licet post resurrectionem vniretur, non posset verè dici, Deum fuisse mortuum. Et similiter, si prius tempore esset purus homo, & peccaret, & postea illa humanitas assumeretur à Verbo, non posset verè dici Deus peccauisse, ergo simile erit in praesenti. Ratio autem est, quia hac com-

municatio idiomatum fundatur in vnione hypostatica, & ideo in iis, quae tempore antecedunt vnionem, & in alio supposito sunt, non potest esse communicatio idiomatum, cum hac non sit inter personas diuersas, sed in eadem.

Secundò, quia in eo casu Verbum nullo modo terminasset conceptionem, seu generationem ex Virgine, non ergo posset dici conceptus, vel natus ex illa, ergo nec posset dici filius, neque Virgo mater Dei. Negatur ergo ad hanc denominationem, seu communicationem sufficere assumptionem naturae ab alio productae, sed necessarium esse hanc assumptionem fieri, ita vt persona assumens terminet aliquo modo ipsam conceptionem, & generationem, ita vt illam assumat eo modo, quo assumptibilis est, quod fieri non posset, nisi eodem instanti conceptionis fieret assumptio. Et ideo non est satis, quod semper maneat eadem humanitas, vel idem homo, formaliter loquendo, quia generatio terminatur ad suppositum, & ad humanitatem vt hic, & nunc subsistentem: & per hac patet ad fundamentum contrariae sententiae. De relatione autem filiationis, an maneat in assumpta natura, necne, infra dicam. Nunc dicere sufficit, vel non manere, vel in eo casu, de quo agimus, non ita manere, vt possit Deum, aut Verbum denominare, quia nec manet omnino integra, sicut antea erat, nec ratio fundandi illam, quae fuit generatio passiva, vlllo modo fuit terminata, vel assumpta à Verbo.

Sed hinc oritur grauis difficultas, huius loci propria. Quia tota actio Virginis terminata fuit in humanitate prius natura, quam assumeretur à Verbo, & ex vi actionis eius non fuit secuta assumptio: sed solum ex voluntate, & efficientia Dei, ergo non potest propter hoc dici mater Dei. Patet consequentia. Tum quia ipsa nullo modo effecit, vt Deus sit homo, sicut, si quis efficeret calorem, & non vniret illum ligno, non posset dici efficere lignum calidum: tum etiam, quia quod hoc idem valere videtur ordo naturae, quod temporis: si autem Deus post totam illam actionem Virginis, assumptionem per aliquod tempus distulisset, non posset dici Virgo mater Dei, licet postea fieret assumptio, vt ostensum est, ergo idem est de ordine naturae, quia hac denominatio non tam pendet ex tempore, quam ex naturali connexione actionum. Tertiò denique, quia alias posset Verbum denominari mutatum à mutatione, quae prius natura praecessit in humanitate, posset etiam dici causatum, & effectum.

Propter principalem difficultatem responderi potest, Beatam Virginem attingi per veram ac Phisicam efficientiam vnionem humanitatis cum Verbo. Sed hac responsio, & minus probabili fundamento nititur, vt in 1. tomo, disputatione 8. sectione 1. ostensum est, & non satisfacit. Quia, esto, B. Virgo effecisset hanc vnionem, id solum fuisset instrumentaliter, & non per modum matris generantis, ergo hoc genus efficientiae nihil refert ad explicandum, quomodo Beata Virgo sit mater Dei.

Aliter ergo respondetur, vt Beata Virgo propria ac verè dicatur mater Dei, satis esse, quod in eodem instanti temporis, in quo anima Christi vnita est corpori, concurrente Beata Virgine concursu materno, (siue ille actius sit, siue passius, hoc enim nunc non disputo) in eodem (inquam) momento anima, corpus & humanitas vnita sint Verbo, sicut è contrario Iudaei dicuntur interfecisse Deum, quia per actionem eorum dissoluta est vnio animae cum corpore, & consequenter humanitas, vt sic separata est à Verbo. Et vtriusque ratio est, quam Diuus Thomas attingit infra quaestione 35. articulo primo, quia sicut agere, ita & nasci seu generari, est proprium suppositorum. Hoc autem optime declaratur supponendo, quod 1. tom. disputatione 17. sect. 1. & 2. tractatum est, scilicet animam, & carnem Christi

Dubium.

Responsio.

Beata Virgo
quomodo ra-
tione conce-
ptionis sit
verè, ac pro-
pria mater
Dei.

Christi prius natura esse vnita Verbo, quam inter se. Hinc enim fit, animam, & carnem Dei ex vi actionis, seu concursus Beate Virginis fuisse inter se vnita ad componendum non tantum humanitatem, sed etiam hunc hominem, atque adeo Beatam Virginem esse matrem huius hominis, & consequenter Dei per communicationem idiomatum. Sicut in generationibus aliorum hominum, prius natura creatur anima subsistens, & statim per actionem generantis vnitur corpori subsistenti, & ita generatur non proprie hæc humanitas, sed hic homo. Et similiter in Resurrectione Christi, tota actio versata est in vnione animæ ad corpus, & tamen per illam dicitur resurrexisse Deus, quia per illam actionem inter se vnita fuerunt corpus, & anima subsistentia per subsistentiam Dei, & consequenter ex vi illius factum est, vt Deus esset homo.

Et per hæc facile patet ad omnia, quæ in illa difficultate attinguntur, præterquam ad vltimam illuminationem. Ad quam breuiter respondetur, Deum quidem recte dici genitum, vel conceptum ex Virgine, quia generatio (vt dictum est) vel conceptio terminatur ad suppositum, non dici autem mutatum, vt in primo tomo sæpè dictum est: tum quia mutatio proprie denominat subiectum, non terminum: tum etiam, quia illa mutatio, per quam humanitas vnitur Verbo, antecedit ordine naturæ ipsam vnionem. Deinde non denominatur Deus causatus, vel effectus, quia simpliciter non est factus, sed est factus homo. Et eadem ratione non est dicenda Beata Virgo absolute causa Dei, quia nomen causæ non determinat productionem, neque effectum: at verò, cum dicitur mater Dei, in ipso nomine matris determinatur humana generatio, per quam Deus factus homo ex Virgine processit. Videantur quæ supra dicta sunt de idiomatum communicatione.

SECTIO II.

Quanta sit hæc dignitas matris Dei, & quomodo alia dona gratiæ illam comitentur.

Duplici modo potest ratio huius dignitatis à nobis concipi, & explicari: primo absolute, & simpliciter considerando quid ipsa in se sit: secundo per comparisonem ad alias gratias, seu dignitates supernaturales, & vtrunque modum breuiter prosequemur.

Primo igitur hæc matris dignitas absolute sumpta moraliter potius, quam physice consideranda videtur. Physice enim solum hæc interueniunt in hoc munere matris. Primum, quod Beata Virgo verè ac proprie concurret ad fabricandum corpus Deo. Secundo hinc factum est, vt aliqua substantia virginis corporis, ex qua fuit Christi corpus & in principio constitutum, & postea auctum, quandiu sanguine vel lacte matris nutritum fuit, vnita sit hypostaticè Verbo Dei. Propterea dixit Petrus Damianus sermone de natiuitate Mariæ, Cum Deus in alijs rebus sit tribus modis, in Virgine fuit quarto speciali modo, scilicet per identitatem; quia idem est, quod ipsa. Hinc taceat, & contremiscat omnis creatura, & quis audeat aspicere tante dignitatis immensitatem? & August. serm. de Assumptione Virgin. capite 5. Caro, inquit, Christi, caro est Mariæ: & infra, caro Christi, quamuis gloria resurrectionis fuerit magnificata, eadem tamen mansit, quæ suscepta est de Mariâ. Ex quo potest facile credi, illam substantiam carnis, quam Christus assumpsit ex Virgine, nunquam fuisse omnino dimissam, aut continua caloris naturalis actione resolutam, sed eandem omnino fuisse semper conseruatam Verbo Dei vnitam. Quod partim physica ratione, partim probabilis coniectura sit verisimile.

Fr. Suarez, Tom. 2.

A Illa enim substantia carnis ex purissimis Virginis sanguinibus desumpta fuit, & optimè disposita, & in mediocri quantitate. Rursus in tempore infantiæ, quia alimentum est facile, & fere sine resistentia conuertitur, parum illius substantiæ per eius actionem resoluitur, præsertim in Christo, qui temperatissimo, & conuenientissimo cibo alebatur, scilicet, *vber de calo pleno*, vt Ecclesia canit. De reliquo autem tempore vitæ Christi, fit non dissimilis coniectura. Quia totum illud fuit tempus augmenti, aut status, in quo humidum radicale fere integrum perseverat, nulla illius resolutione facta. Probabile denique est, ex speciali prouidentia, & voluntate ipsius Christi hoc fieri potuisse. Tertio præter hoc genus causæ, seu concursus, nihil aliud reale, ac physicum ex vi huius dignitatis in Virgine resultat, præter relationem realem matris ad Christum hominem Deum; nihil enim aliud fingi aut excogitari potest. Quarto verò hinc efficitur, vt moraliter, & secundum prudentem existimationem, virgo retineat supremum quandam, & excellentem dignitatis gradum, propter singularem, quam cum Deo habet coniunctionem, & propinquitatem. Vnde etiam fit, vt singulare ius habeat ad bona Dei filij sui, vt in sequentibus explicabimus. Vt verò, quanta sit hæc dignitas, melius declaremus, accedamus ad alteram partem, & illam cum dignitate gratiæ, & filij adoptiui conferamus. Nam cum alijs, nullam comparisonem facere necesse est, nam per se notum est, & esse inferiorem vnione hypostatica, & esse supra omnem aliam dignitatem, quæ gratiam, seu amicitiam Dei formaliter non includat.

De hac verò dignitate gratiæ est difficultas. Sancti enim videntur illam præferre dignitati matris Dei. Augustinus libro de sancta virgin. capite tercio, *Beator, inquit, fuit Maria, concipiendo mentem, quam ventre: & infra Felicitis gestauit corde, quam carne.* Et epistol. 38. dicit: *maternum nomen, etiam in virgine esse terrenum in comparatione celestis propinquitatis, quam illi contrahunt, qui voluntatem Dei faciunt: nimirum per gratiam.* Et Iustinus q. 136. ad orthodox. dicit, *Beatam Virginem beatiorem esse prædicandam ob virtutem, quam habuit propter quam meruit esse mater Dei, quam ob ipsam matris dignitatē.* Quod videtur sensisse Christus Dominus. Lucæ 10. cum mulieri dicenti, *Beatus venter, qui te portauit, respondit, quinimò beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* Ac si aperte diceret, beatitudinem hanc illi esse præferendam. Et similia sunt illa verba Matth. 12. *quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicumque enim fecerit voluntatem patris, &c.* quæ verba tractat Cyprianus, sermon de passione Domini, dicit, *prætulisse Christum matri auditores verbi, & pauperes spiritu.* Quod non de personis, sed de muneribus, & officijs necessariò intelligendum est. Ratio denique adiungi potest ex dictis. Quia dignitas matris solum addit personæ Virginis relationem quandam ad Deum, vel hominem: dignitas verò filij adoptiui addit gratiam, gloriam, virtutes omnes, ac verā sanctitatem, & reddit hominem Deo amicum, & innocentem, quatenus peccatum excludit, & inde consequitur relatio filij adoptiui, quæ est ad Deum, vt Deus est: ergo.

In contrarium verò est. Quia hæc dignitas matris est altioris ordinis, pertinet enim quodammodo ad ordinem vnionis hypostaticæ, illam enim intrinsecè respicit, & cum illa necessariam coniunctionem habet. Propter quod Augustinus initio libri de assumptione, inquit, *Huius dignitatis, & gratiæ effectum nec cor concipere, nec lingua valet exprimere.* Et Bernard. serm. de assumptione, & de natiuit. Virg. & super illa verba, *signum magnum, &c.* & homil. 2. in Missus est, varijs modis hanc dignitatem exaggerat, indicans infinite superare, quidquid sub Deo

Dignitas matris quid physicū addat personæ Virginis.

Dubium. August.

Luc. 10.

Matth. 12.

Cyprian.

August.

Bernard.

Maria Virgo cur causa Dei non possit dici.

Dignitas matris Dei absolute, & in se sumpta, quæ sit, & quanta sit.

Substantia carnis à Christo assumpta ex Virgine natiuitatem à Verbo dimissa.

homine excogitari potest. Et Laurent. Iustinian. ser. de purificatione, & serm. de assumptione, tanto inquit, dignitate ceteris est effecta excellentior, quanto propinquior erat Verbo. Et ad eundem modum loquitur Ansel. lib. de excellentia Beatæ Mariæ, præsertim in initio his verbis. Supereminens omni, quod post hominem Deum creatum est, excellentiam Beatæ matris Dei, quomodocunque, & salsem lippienti oculo cordis contemplari anhelans, horreo, & valde timeo, & c. 2. quamus hoc solum de sancta Virgine prædicari, quod Dei mater est, excedat omnem altitudinem, quæ post Deum dici, vel cogitari potest. Et similia habent Cyril. lib. de fide ad Reginas. Et Orig. homil. 1. ex varijs. Et confir quia ex hac matris dignitate colligunt Patres omnes Beatam Virginem, non solum excellentem gratiam accepisse, sed etiam omnes gratias, & virtutes, & omnia dona, & Privilegia gratiæ inter alios sanctos diuinas, ac distribuas, in vna Virgine fuisse simul congregatas. Vnde Bern. Epist. 174. quod velpauci, inquit, mortalium constat esse collatum, non est fas suspicari tantæ Virgini fuisse negatum. Et antiquus quidam scriptor, qui propter modestiam Idiotæ nomen sibi imposuit, lib. de contemplatione B. Mariæ cap. 2. t. 3. Bibliot. sanct. propter hanc causam docet omnia spiritualia charismata, perfectissima in Beata Virgine fuisse, & Bonauent. in speculo Mariæ. c. 5. 6. & 7. ad hoc confirmandum accommodat illud Eccles. 1. Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat. Quia omnes huiusmodi gratiæ, Mariæ capacitatem, matrisque dignitatem non excedunt. Et in hanc sententiam refert August. & Bernar. qui multa ad rem præsentem tractat in quodam ser. de Natiuit. Domini, qui inter opera eius dubia ponitur, & in alio simili serm. de Beata Mar. Huic etiam sententiæ fauet Aug. serm. 17. de Nati. Dom. qui est 21. de tempore, & eodem principio vtitur Damasc. orat. 1. de dormitione Virginis & Athanas. sermon. de sanctissima Deipara, dicit Beatam Virginem esse plenam gratiā, quia omnibus gratiis abundauit, & causam explicans inquit. Ex te produxit Deus noster, omnem tibi largiens gratiam. Sic Cyprian. serm. de Natiuit. Christi, Matris, inquit, plenitudo gratiæ debebatur. Et etiam Sophron. ser. de assumpt. (qui inter opera Hieron. habetur). ceteris, inquit, per partes, Maria autem se totam infundit gratiæ plenitudo. Quæ verba vsurpauit etiam Petrus Chrysologus, sermo. 143. & Laurent. Iustin. serm. de Assumpt. Virginis. Et Petrus Damasc. in simili concione, quasi virgula sumi ex aromatis myrris, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij, inquit, vniuersus pulvis pigmentarius in Virgine proiectus est, quando in ea virtutum conuentus reuerendum sibi thalamum consecrauit, & si ceteris per partes spiritus, adfuit, Mariæ tamen tota plenitudo gratiæ superuenit. Similiter Ambros. quem Bon. refert (& colligi potest ex lib. de instit. Virg. c. 13. & 14.) hoc dicit esse proprium Virginis, ut omnibus secunda sit gratiis, sic etiam Hieronym. t. 3. epist. 104. ad Principiam de expositione, Psalm. 44. circa illa verba. Et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo, inquit, nam & sancta Maria, quia conceperat eum, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter, plena gratia salutatur. Optime Methodius orat. de Purificatione, Euge, euge, inquit, quæ debuerem illum habere, qui omnibus mutatur, Deo enim vniuersi debemus: tibi autem etiam ille debet, proinde qui dixit, honora patrem tuum, & matrem tuam, ut is, decretum à se promulgatum obseruaret, & alios excederet, omnem matri & gratiam, & honorem impendit. Vnde Albert. Mag. lib. de Beata Mar. c. 69. 70. & 71. dicit principium ex terminis per se notum esse, Virgini perfectius collatas esse, omnium sanctorum gratias. Quod ego intelligo ex terminis matris, & filij, qui Deus sit, & principium omnis gratiæ & hoc denique supponunt omnes Theologi, D. Thom. & cum eo Caiet. q. 27. articulo 5. & 6. Antonin. 4. p. tit. 15. Durand. in 3. d. q. 2. & alij. Comparatur ergo hæc

Cyrill.
Origen.

Bernard.

Idiota.

Bonauent.

Eccles. 1.

August.
Bernard.Damascen.
Athanas.
Cyprian.

Sophron.

Lau. Iust.

Petr. Dam.

Petr. Chrys.

log.

Ambros.

Hieron.

Method.

Albert.

Magn.

D. Thom.

Caietan.

D. Anton.

Durand.

A dignitas matris Dei ad alias gratias creatas tanquam prima forma ad suas proprietates, & è conuerso, alia gratia comparatur ad ipsam, sicut dispositiones ad formam: est ergo hæc dignitas matris excellentior, sicut forma perfectior est suis proprietatibus, & dispositionibus. Alias non recte ex minori dignitate colligerent Sancti aliam multo maiorem, & excellentiorem.

Vt respondeamus huic quæstioni, aduertendum est primò, considerari posse in Virgine coniunctionem maternam, quam habet cum Christo ut homo est, præscindendo in illo dignitatem personæ in creatæ, solamque excellentiam gratiæ, & sanctitatis contemplando: & hoc modo certum est, non habere virginem dignitatem aliquam, quæ cum dignitate, gratiæ valeat comparari, quia ut sic non consideratur, ut mater Dei. Quo modo possent non male exponi verba illa sanctorum, quibus spiritalis conceptio Christi corporali præferri videtur. Et similiter verba illa Christi. Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, mulier enim illa, quæ Virginis vterum beatam dixerat, nihil de Christi diuinitate cogitabat. Alio ergo modo consideranda est hæc dignitas, quatenus est singularis quædam coniunctio cum Deo, quam egregiè D. Thom. & D. Thom. Caiet. affinitatem cum Deo vocant. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. & hoc modo, vix possunt hæc Dei maternitas, & filio adoptiuo comparari, sunt enim diuersorum ordinum, & mutuo se le quodammodo excedunt.

Dici tamen potest primò, si præcisè conferantur dignitas filij adoptiuus, ut vna ab alia omnino separatur, præferendam esse dignitatem filij adoptiuus, ut conuincunt, quæ ad hanc partem confirmandam adducta sunt, & hac consideratione merito dicitur, si dignitas matris absque gratia, & filiatione adoptiuo futura esset, multò melius esse & eligibilius, filium Dei esse, quam matrem. Quo sensu recte etiam exponitur dictum August. & alia quæ supra adducta sunt.

Secundò verò addi potest dignitatem matris Dei moraliter consideratam, & prout includit omnia, quæ quodammodo ex natura rei, & secundum ordinem diuinæ sapientiæ illi debentur, altiorē esse dignitatem filij adoptiuus. Hanc sententiam satis confirmant quæ ad demonstrandam posteriorem partem adduximus. Et illi fauet etiam D. Thom. p. q. 25. art. 6. ad 4. dicens hanc dignitatem esse suo genere infinitam, quia est suprema quædam coniunctio cum persona infinito. Nec potest dici tantam coniunctio carnalis, sed etiam spiritalis, qualicet media conceptione carnis facta sit, tamen ad Deum ipsum aliquo modo terminatur. Vnde idem D. Thom. 2. 2. q. 103. art. 4. ad 2. dixit, ratione huius dignitatis deberi Virgini excellentiorem adorationem, quam aliis sanctis. Quia sua operatione fines diuinitatis propinquius attingit, ita D. Thom. loquitur, & ratione declaratur ex dictis, quia sicut, ratione vnionis debetur humanitati Christi summa gratia, & gloria: ita ratione diuinæ maternitatis debetur Virgini suo modo magna quædam plenitudo gratiæ, ut exposuit D. Thom. supra quæstio. 7. art. 10. dicens: In Virgine fuisse plenitudinem gratiæ tali dignitati proportionatam. Quomodo etiam dixit Augustin. lib. de nat. & grat. cap. 36. Inde nouimus tantam gratiam illi esse collatam, quia Deum concipere meruit, ac parere. Et Sophron. sermo. de assumpt. Talibus decebat Virginem oppignorari muneribus, ut esset gratia plena, quæ dedit cælis gloriam, terris Deum. Et ad eundem modum loquitur Anselm. lib. de conceptu virginali, 18. Ildefonsus li. de vir. Mar. c. 2. & Rich. de S. Victor. lib. 2. de Emma. nuel, ca. 26. & omnes alij supra adducti. Et plura alia testimonia sanctorum congeremus infra, de excellentia gratiæ Virginis disputantes. Et ratione confirmatur, quia dona gratiæ, quamuis in se perfectissima sint, dantur tamen à Deo, ut perfectiones necessariæ

August.

Sophron.

Anselm.

Ildefons.

Richard.

Victor.

*Justa mu-
nerum pro-
portio di-
nesa gratia
Dei offert.
Luc. 1.
Roman. 1.
Numer. 11.*

cessaria ad exercenda munera, quæ ad Deum perti-
nent, & tunc maxime Deus illa confert, quando i-
stemet hominem aliquem in tali munere, vel di-
gnitate constituit: hæc enim ratione Ioanni Baptista
tot gratiæ privilegia contulit propter munus Præ-
cursoris, iuxta illud. Luc. 1. *præbuis enim antefaciem
Domini parare vias eius.* Et Apostoli propter similem
rationem abundantiam gratiæ acceperunt, ad Rom.
1. *Per quem accepimus gratiam, & Apostolorum.* Et Num.
11. dictum est Moysi. *Auferam de spiritu tuo, & tradam
eis, scilicet septuaginta viris.* Quia communicato cū
eis munera, oportuit etiam spiritum, & diuinum
auxilium cū eisdem communicari. Tandem hæc
totam excellentiam debitam esse quodammodo
huic dignitati ita potest explicari. Quia decet ma-
trem honorari a filio: imò ratione maternæ digni-
tatis habet singulare ius ad bona filij, ergo hæc ratio-
ne dignitas matris est quodammodo ratio, & prin-
cipium dignitatis gratiæ, quam quodammodo emi-
nenter continet, secundum ordinem diuinæ sapien-
tiæ: ergo sub hac ratione dignitas hæc excellentior
est, & simpliciter maius Dei beneficium existimari
debet eligi Virginem in matrem Dei, quam eligi v.
g. Petrum ad gloriam, quia illa electio hanc in vir-
tute, & eminentiori modo continet.

SECTIO III.

*Quomodo fuerit Beata Virgo ad hanc matris digni-
tatem prædestinata.*

In hoc dubio seruata proportione trāstari possunt
omnia, quæ tom. 1. circa art. 3. q. 1. de Christi præ-
destinatione disputata sunt, & multa, quæ de præde-
stinatione aliorum hominum disputari solent, vt
tamen quæ ad præsentem locum pertinent breuiter
complectamur, supponamus generalia principia,
vel certa, vel quæ in superioribus probabiliora iudica-
uimus.

Primò ergo certum est Beatam Virginem fuisse
ab æterno electam, & prædestinatam, tum ad gratiam,
& gloriam, tum etiam ad dignitatem matris
Dei ante omnia illius merita præuisa. Hoc constat
partim ex certa sententia, qua constat omnes homi-
nes prædestinatos, eligi absq; propriis meritis, par-
tim ex iis, quæ tom. 1. disput. 8. diximus, vbi ostendi-
mus B. Virginem, nullo modo meruisse, vt in ma-
trem Dei eligeretur. Et hanc veritatem docere in-
tendunt sancti Patres, cū dicunt Verbum diui-
num elegisse sibi matrem, eamque sola sua volunta-
te ab æterno præordinasse. Ita sentit August. lib. 2. de
peccator. merit. & remis. cap. 25. & Bernard. homil.
2. in Missus est. Et Cyprian. in serm. de Natiu. Christi,
in hoc sensu per antonomasiam vocat Virginem *vas
electionis.*

Secundò dicitur Beatam Virginem nostro mo-
do intelligendi prius secundum rationem prædesti-
natam esse, & electam, vt esset mater Dei, quam ad
tantam gratiam, & gloriam. Hæc conclusio etiam
est clara, suppositis iis, quæ in præcedenti sectione
dicta sunt, & quæ de huiusmodi signis rationis, in
dicto artic. 3. explicabimus. Ideo enim Beata Virgo
prædestinata est ad tantam gratiam, & gloriam,
quia electa est in matrem Dei. Ordo enim executio-
nis manifestat ordinem intentionis. Sed in re ipsa
talis gratia, & gloria data est Beatæ Virgini, vt esset
ita disposita, sicut matrem Dei decebat, ergo ideo
fuit electa ad tantam gratiam, & gloriam, quia in
Dei matrem erat præelecta.

Tertio hinc colligo Beatam Virginem electam
esse tam ad maternitatem, quam ad talem gloriam
per se, & absolute ante præuisum originale pecca-
tum. Ita docet omnes, qui de prædestinatione Christi
proportionali ratione opinantur, præsertim Ga-
læius, libro tertio, capite 1. Et probatur ex dictis
in illo articulo 3. Primò, quia verisimilius est omnes

A prædestinatos esse electos ad gratiam, & gloriam
ante præuisum originale peccatum: ergo multo cer-
tius est beatam Virginem fuisse eodem modo ele-
ctam ad gloriam, ergo & ad maternitatem diuinam.
Secunda consequentia patet, quia electio ad mater-
nitatem in ordine finis antecelsit, vt ostensum est.
Prima verò probatur, quia vel inter electos non est
ordo, sed omnes simul in eodem signo rationis e-
lecti sunt, vel si aliqua ratio ordinis considerari po-
test, potius electio Beatæ Virginis antecelsit, quam
subsecuta sit aliorum electionem, quia est altior &
excellenter, & ad maiorem Dei gloriam spectans.

Vnde sanctus Bernardinus Senensis, sermon. 51. de
Beata Virg. c. 4. Tu, inquit, ante omnem creaturam in
mente Dei prædestinata fuisti, vt Deum ipsum hominem

B procreares. Quam sententiam ex Anselmo refert, &
eandem significat Rupert. lib. 2. in Cantica. Secundo
probatur, quia Christus Deus homo prædestina-
tus est, seu electus ante præuisum originale pecca-
tum, ergo & eius mater. Probatur consequentia,
quia non tantum per se prædestinatus est vt ho-
mo, sed etiam vt filius hominis, hic enim incarna-
tionis modus, scilicet, vt heret in vtero Virginis,
& vt Deus haberet matrem in terris, non includit
imperfectiorem ex peccato manantem, per se ergo
intendi potuit, sicut ipsa incarnatio, atque adeo sub
illam intentionem, seu electionem cecidit, pro-
ut intelligitur antecedere præscientiam originalis
peccati. Vnde Ecclesia sancta ad Virginem accom-
modat testimonium illud, quod in supra dicto loco
de Christo exposuimus, *Domini possedit me in initio*

C *viarum suarum, & illud, ab initio, & ante secula creata
sum, &c.* Quia videlicet mater non fuit a filio dis-
iuncta, etiam in electione diuina. Quod videtur
insinuasse Andreas Crētenf. in sermon. de assumpt.
dicens de Beata Virgo: *Hæc est declaratio profundorum
diuine incomprehensibilitatis, hic est scopus, qui excogita-
tus est ante seculum.* Deinde addi possunt coniecturæ.
Prima, quia si gratia Angelorum, & gloria, per se
est intenta à Deo ante præuisionem omnis peccati,
cur non magis excellentissima gratia, & gloria Vir-
ginis Beatæ, & consequenter dignitas matris? Se-
cunda, quia hæc dignitas singularis est, & ab omni
alia creata distincta, ergo per se pertinet ad con-
summatam perfectionem operum Dei; fuit ergo
per se intenta. Tertia, quia hoc modo illustrior
fit diuina gratia erga humanum genus, quia non
est contentus Deus naturam humanam assumere;

D sed etiam honorare voluit personam creatam hu-
manam, quantum in ratione personæ capax fuit. Et
ideo vtrumque per se Deus intendit. Quarta, quia
si aliorum hominum generatio per se intenta fuit,
vt cū Augustino & D. Thom. supra docuimus,
cur non magis humana Christi generatio ex matre?
Quinta denique, quia sicut mulier ex solo viro fa-
cta fuit, & per se à Deo intenta ante peccatum: ita
generatio viri ex sola muliere, quæ non minus mi-
rabilis futura erat, per se debuit intendi propter
perfectionem diuinorum operum, quæ ex mira-
bili quadam varietate confurgit. Quæ ratio fun-
damentum habet in Leone Papa, & aliis Patribus,
E quos tom. 1. disputatio. 3. sectione 1. citauimus, quibus
addi possunt Damascen. libr. 4. de fide, cap. 15. & Cy-
rill. Ierosolymit. catechesi 12. Augustin. sermo. 7. de
Natiuit.

Sed contrà, quia sicut de Christo, ita & de Bea-
ta Virgine sapienter sancti, indicant, fuisse prædestina-
tam matrem Dei occasione peccati. Vnde Augustin. in
sermone primo, de Natiuitate, postquam multa in
laudem Beatæ Virginis dixerat, ita concludit. *Ideo
omnes istos cursus natura Virgo Maria in Domino no-
stro Iesu Christo suscepit, vt omnibus ad se confugiens
subueniret, & sic restauraret omne genus sa-
minarum, sicut omne genus virorum Adam nouus re-
esperas Dominus Iesus Christus.* Et clarius in exposi-
tione

*Virgo per se
ante præui-
sionem ori-
ginalis pec-
cati ad glo-
riam, & ma-
ternitatem
electa.*

*Bernardinus
Senensis.*

Rupert.

Andr. Crētenf.

*Virgo ab æ-
terno in ma-
trem Dei ele-
cta.*

*August.
Bernard.
Cyprian.*

*Beata Virgo
in tantam
gratiam, &
gloriam præ-
destinata,
quia in ma-
trem Dei ele-
cta.*

*Leo Papa
Damasc.
Cyrill. Ier.
Ierosolym.
August.*

Obiectio.

August.

Galæius.

tione super Canticum Magnificat, quæ habetur in fine 9. tom. *Eua propter superbiam*, inquit; *abiecta est*, Maria vero propter humilitatem est electa. Et Iustin. Martyr, dialogo cum Tryphone satis postmodum. Homo, inquit, natus de Virgine, ut per quam viam fraude serpentis intravit inobedientia, per eandem sequeretur venia. Confirmatur, quia sequitur, ante præuisum originale peccatum prædestinasse Deum totam seriem generationum ab Adamo vsque ad Virginem, quia non potuit Beata Virgo per seminalem rationem, & naturali modo ab Adamo descendere, nisi ex his parentibus, & progenitoribus. Consequens autem videtur creditu difficile.

Respond.

Ad Patres respondeo, in illis & similibus locis, non explicare primam rationem, neque ordinem huius prædestinationis: sed proximum finem, quem Deus intendit in modo executionis eius, ut plane constat ex verbis Iustini, & ex prioris testimonio Augustini, ubi non de electione, sed de illius executione loquuntur. Augustinus verò in posteriori loco, quamvis nomine electionis utatur, tamen solum de illa loquitur quo ad effectum eius, quod evidenter constat, quia dicit, Mariam esse electam, *Quia factori suo humiliter se subdens, ancillam se nominavit*. Certum est autem si loquamur de prima electione ordine intentionis, non ideo Mariam fuisse electam, quia futura erat humilis, sed potius, quia electa est, ideo illi datum esse, ut esset humilis: in re tamen effectum illius electionis consecuta est, quia per humilitatem congruè se disposuit.

Ad confirmationem, quamvis illatio illa pendat ex quaestione Physica, scilicet, an hoc indiuiduum possit ex alijs parentibus naturaliter generari, quid tamen de hoc sit, concedo sequelam. Est enim illud consequens verum, & facile supposita diuina præscientia, & efficacia diuinæ voluntatis, ut facile constare potest ex ijs, quæ dicto articulo tertio diximus.

Quarto ex dictis colligitur, quid respondendum sit interroganti, an si homo non peccasset, Beata Virgo futura esset mater Dei? Dicendum est enim si solum habeatur ratio illius primæ electionis, quia Beata Virgo per se electa est, ex vi illius futuram fuisse, etiam si homo non peccasset, sicut futuri fuissent alij homines, illorumque generationes. Quia illa electio, & motuum eius, nihil inuoluit necessarium pendens à peccato, & hoc suadent omnes coniecturae primò adductæ: si autem huic electioni coniungatur tota ratio diuinæ providentiæ, & præscientia futuri peccati, saltem conditionata, sic verè dici potest necessarium fuisse peccatum, ut Beata Virgo esset mater Dei. Quæ doctrina constat ex ijs, quæ in simili quaestione de Christo Domino diximus, est enim eadem proportionalis ratio.

Dubium.

Super est tamè difficultas circa priorem partem, Quia si homo non peccaret, & Verbum fieret homo, non assumeret carnem ex materno vtero, ergo nec Beata Virgo futura esset mater Dei, nec potuit per se eligi in matrem, nisi occasione peccati. Antecedens probatur, quia si Deus fieret homo absque occasione peccati, assumeret corpus à principio perfectum, & gloriosum, cui perfectioni repugnat conceptio in vtero matris. Respondetur primum, sub obiectum illius electionis per se, & intrinsecè non cecidisse illud, quod in argumento sumitur, nec ex tali electione hoc necessarium inferri, potuisset enim Deus fieri homo immortalis, non in statu gloriæ, sed in eo statu, quem haberent homines viatores Adamo non peccante: per se enim decere potuit, Christum esse viatorem cum conditione corporis statui hominum accommodata, ut & illis mereretur, & suo exemplo viam ad beatitudinem demonstraret. Addo Augustinum, lib. 1. de peccat. merit. c. 27. & 28. dubitare, an homine non peccante, homines concipiendi essent in parvis, &

August.

A debilibus corporibus, ita ut nec lingua, nec membris uti possent. *Quia non obstante*, inquit, *exigua vi* Si Deus fieri vi capacitate, posset omnipotentia creatoris, filios nondum eductos, grandes statim facere. Si igitur de omnibus hominibus, ita Augustinus existimauit, non improbabilius posset aliquis dicere, etiam si Christus concipiendus esset gloriosus, & perfectus, hoc nihil obstare, quominus ex materno vtero progredetur. Præsertim quia durante illa vita immortalis, in qua homines post certum, ac definitum à Deo tempus, essent ad beatitudinem transferendi, potuisset facile Beata Virgo statim post filij conceptionem, & animo, & corpore simul cum filio fieri gloriosa. Itaque non est cur dicamus dignitatem matris Dei per se, aut necessarium à peccato pendere.

DISPUTATIO II.

in tres Sectiones distributa.

De naturali perfectione, & origine Beate Virginis.



Explicata dignitate matris, ad quam Beata Virgo prædestinata fuit, consequens est, ut tempus, & modum, quo dignitatem hanc consecuta est, & perfectiones omnes, quibus ratione illius nobilitata est, explicemus. Quia verò gratia naturam supponit, ideo in disputatione hac, omnia, quæ ad naturalem eius perfectionem, & originem pertinent, præmittemus, dicturi postea de supernaturali perfectione.

SECTIO I.

Virum Beata Virgo fuerit naturali modo concepta, & ex quibus parentibus.

Primum omnium tanquam certum statuentum est, Beam Virginem procreatam esse ex viri, & femine commixtione carnali, ad modum aliorum hominum. Quamquam enim hoc, neque in sacra Scriptura legatur, neque in Concilijs expressè definitum sit, habetur tamen certa traditione, & communi consensu totius Ecclesiæ. Est enim singulare privilegium Christi, quod ex femina sine opera viri conceptus sit. Unde Luc. 1. dicit Angelus ad Virginem, *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*. Et causam subdit, dicens. *Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei*, fuit ergo hæc propria prerogatiua Filij Dei, & ad eius singularem honorem spectat, ut alteri communicata non fuerit. Præterea sequitur hæc veritas ex alio principio fidei, quo constat indignuisse Virginem redemptione, quia nimirum descendebat ex Adamo per seminalem generationem. Adde in grauiusimis etiam historijs mentionem fieri parentum Virginis, sub proprijs eorum nominibus, scilicet Ioachim, & Annæ, ut constat ex Nicephor. libr. 1. cap. 7. & libr. 2. cap. 3. ubi ex Hippolyto Portuensi hanc historiam refert. Idem Epiphani. hæres. 78. & in fine, & 79. circa medium, ubi expresse inquit, *Tametsi historia Maria, & traditio habens dictum esse patri ipsius Ioachim in deserto, vxor tua concepit, non tamen, quod sine coniugio neque sine semine viri hoc factum sit, & ibi damnat hæresim Collyridianam, quæ aiebat, Mariam humanæ naturæ prorsus fuisse expertem*. Plura habet Epiph. orat. de laudibus Virg. in tom. 7. Biblioth. Damascenus libr. 4. cap. 15. & orationibus de Beata Virg. & Andreas Ierosolymit. oratione de Dormitione Dei. paræ, & German. Constantinopolitanus, oratione de oblatione Mariæ in templum, Gregorius Nyssenus oratione de sancta Christi Natiuitate, Simeon Metaphr. & alij, qui historiam de Beata Virgine scripserunt.

Virgo ex corpore carnali viri, ac femina, ut alij homines nata.

Nicephor.

Epiphani.

Damasc.

Andr. Iero.

German.

Constant.

Greg. Nyss.

Simeon Metaphr.

Neque

Si homo non peccasset, quomodo Virgo futura esset mater Dei.

Respond.